DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
PERTRACTANS
MORBOS
MAMMARUM MULIEBRIUM,
QUAM
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
DD. PROFESSORUM
PRO
Doctoris Medicinae et Chirurgiae Laurea,
SUMMISQUE
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME OBTINENDIS
in celeberrima
ACADEMIA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT

Eduardus Wache,
Silesius Joannesthalensis,
Medicus castrensis.

In theses adnexas disputabitur in Aedibus Academiae Josephinae
die mensis Novembris 1838.

VINDOBONAE.
TYPIS CAROLI UEBERREUTER.

In medico debet esse pecuniae contemptus, pudor, modestia in vestitu, judicium, lenitas, urbanitas, mundities, recta elocutio, superstitionis aversatio et praestantia summa. Insunt quoque in medicina, quae requiruntur ad coërcendam intemperantiam, inscitiam, avaritiam, concupiscentiam, rapinasque ac impudentiam.

Hippocrates.

Verum animo satis haec vestigia clara sagaci
Sunt, per quae possis cognoscere caetera tute.

Procemium.

Medicinae et chirurgiae doctoratum me consecuturum, lex academica scribere jubet dissertationem inauguralem. Licet sub decursu studiorum pro virium modo conatus fuissem ad scopum, juvenilique fervore ad objectorum in medicina et chirurgia gravissimorum selectum alliciebar; mox tamen et temporis brevitas et debita scientiae et experientiae tironis aestimatio limitabant conamen cogitatum primum. Deliberando serio de fine legis, persuadeor, hanc a tironibus non magni quid exigere, sed intendere vel maxime, ulteriorem sui cujusque ad vitam practicam culturam, esseque occasionem ad primam, ut ita dicam, alarum vibrationem. Muneris medici practici, quod adgredior, memmor, placuit morbos omnino frequentes mammarum muliebrium pertractasse, quod si ex voto successerit, forte etiam aliis, si non; mihi certe utilis sum futurus.

Morbos hos pertractare volentem, nollem existimet quis, me eosdem stricte sejunctos respexisse: scio enim omnium in oeconomia animali intimum esse nexum, ita, ut functionum omnium determinata harmonia sanitatis

tensa, irritata, mammae ipsae durae tensae, in statum conjiciuntur inflammatorium, quem quandoque fasciae rubrae a peripheria mammarum ad papillas decurentes manifestare solent; vel contra mammae, nimis semper fotae calore, nimium molles sensibiles redduntur, nulli stimulo adsuetae, prima in papillis suctione multum irritantur, unde inflammatae excoriantur ac dolorificae irritantur.

Prognosis. In prognosi ad duplicem respiciendum erit statum, utpote: ad febris naturam et gradum, tum ad mammarum conditionem. Febris mitior nullo stipatur periculo, et subsequente lactis excretione sponte cessare solet. Gradus ejus altior majorem sibi expostulat attentionem. Mutata namque lactis accumulati indole in acidam, acrem tum constituit stimulum, febrim acutam, validiorem sustentantem, — synocham.

Quo in casu congestiones in encephalum, unde encephalitis, sopor, deliria aut coma vigil suboriuntur; vel congestiones in pulmones locum habere solent et vera oriri potest peripneumonia. Mammae a lacte congesto turgidae, tensae inflammari et in suppurationem transire consueverunt, lacte non reserpto nodi remanere, tempore in scirrhum atque in cancrum degenerantes.

Therapia. Curatio naturae et causis morbi accommodata duplicem respectum exposcit: curam status morbosi universi organismi et curam topicam. Mitior febris nullis egebit remediis internis; solum vitae regimen morbum devincere valebit. Qui exitus optatus obtinetur, lactis suctione continuata, moderato ciborum digestu facilium usu ac summa corporis animique quiete. Febri increscenti obices acidis mineralibus ponuntur, his nefors contraindicatis, emulsiones amygdalinae optime conducent. Excretiones liberae servandae. Adepta febri summum jam gradum, ut synochae prae se ferat naturam, antiphlogisticis, strictiori sensu sumtis se-

cundum notas regulas succurendum; venaesectiones tamen consultius in pede suscipiuntur, lochiorum fluxus haud interturbantes. Cura topica primam sibi vindicat attentionem: mammae turgidae tensae dependentes et dolorificae suspensorio levandae, motus congesti lactis excitandus et excretio producenda, infuso florum sambuci, ac fomentationum ope ex herba hyoscyami, meliloti, cicutae etc. et applicatione frequentiori infantis ad ubera, tanquam principale, lac in motum ponendi, remedium; ubi infans iners est, adultus quispiam operationem suscipiat, usque dum lac protrahat, aut ad antliam, hunc in finem formatam erit confugiendum. Continuatis his frequentissime jam intra paucos dies, tumor dissipari, dolores et tensio remittere, ac ipsa lactis excretio, optato succedere solet effectu, lactationem rursus possibilem reddens. Extravasatum lac, si notabile non sit, per vim absorbentem adauctam sufferre conamur applicando pulveres serpylli, majoranae, lavandulae, Absinthii gossipio inspersos.

Praesens autem major extravasati lactis copia, cujus resorbendi exigua possibilitas, arte est educenda; transitus demum in inflammationem ac inde sequens suppuratio secundum proprias harum tractabitur leges.

Febris puerperalis.

Febris puerperalis vocatur ille e propriis vitae processus circumstantiis sub puerperio emergens morbus febrilis, qui manifestatur anormali vasorum actione, topica affectione inflammatoria praereliquis peritonei, vel alius vicarie captae membranae serosae, systematis nervorum alteratione cum minore majoreve puerperii functionum laesione nec non inclinatione in exudata serosa in organis inflammatis.

Decursus ejus variis subjectus modificationibus, typum tamen typhi acuti semper sequitur, idque eo

manifestius, quo citius a partu comparet. Incipit cum horripilatione, quam mox calor insequitur, his artuum delassio, capitis gravitas et pectoris anxietas comites se praebent. Sudor profusus, vires exhauriens, corpus obducit, sitis magna usque ad remissionem aut mortem perdurans, anorexia, vomituritio, haud raro in vomitum erumpens, lingua muco tegitur, sapor oris amarus, os siccum redduntur, alvi excretio nulla et nonnisi sub morbi remissione diarrhoea comparet, mortem frequenter passu sat celeri adducens. Systema haematopherum per pulsus frequentes acceleratos multum exaltatum conspicitur; praesente inflammatione topica pulsus magni duriusculi sunt, sub exacerbationis remissione redduntur parvi, debiles facile supprimendi. Nec symptomata nervosa semper desiderantur; imo prima statim exacerbatione comparent; omnium communissimum est oculorum obnubilatio, rarius aurium susurrus; in graviori morbo tremores musculorum, praeprimis in extremitatibus. Deliria, floccorum captatio, tendinum subsultus etc. ultimarum exacerbationum febrilium viribus jam fractis symptomata.

Evoluta sub prima statim exacerbatione, topica visceris cujuspiam inflammatione, ut plurimum in abdomine, dolor comparet lancinans punctorius; si caput occupet, cuncta meningitidis aderunt symptomata; si cavum thoracis occupet, symptomata pleuritidem et peripneumoniam indicantia comparebunt. Finita sic spatio aliquot horarum exacerbatione, cuncta remittunt symptomata, sudor profusus imminuitur, anxietas disparet, puerpera liberius respirat, conqueritur tamen de lassitudine corporis summa, artuum dolore; turgor vitalis, amoenus genarum apud plerasque rubor citissime per primam jam exacerbationem consumuntur, facies collabitur, oculi fiunt turbidi, liquore viscido glutinoso inundati, palpebrae tumidae viscidae; labia oris a praegresso nocturno aestu brunea et sicca. Mammae parum

turgescentes et elasticae deprehenduntur. — Si symptomatum syndrome encephalum occupet, abdomen tangitur molle indolorificum, ast symptomata nervosa eminent: facies multum mutata, aurium susurrus et dolor capitis in parte quadam terebrans percipiuntur; oculi fixi, truces redduntur, quae cuncta deliriis furiosis comitari solent. Fluxus lochiorum, residente malo in abdomine cessat, aut saltem imminuitur; si vero encephalum sedem mali constituat, is longiori tempore continuat. Urina coloris brunei per plures horas immutata persistit nullo sedimento deposito. Topicus dolor increscit et cuncta symptomata febrim characterisantia aucta comparent. Oris siccitas major, lingua copiosiore tegitur muco bruneo; facies magis collapsa, nasus acuitur, meteorismus abdominis; lochia vel cessant penitus, vel paucum sanguinem aut ichorem fundunt; mammae notabiliter redduntur flaccidiores. Character igitur nervosus febris magis emergit. Auctis ita nunc singulis revertentibus exacerbationibus, fit, ut plurimae aegrae jam die morbi 4to, 5to, 6to et 7mo febri succumbant. Vires enim per quamlibet invasionem febrilem nimium exhauriuntur; calor tum comparet intensior et cum 5ta aut 6ta exacerbatione eum attingit gradum, ut vere mordax dici mereatur; sitis insatiabilis, nunc quoque petechiae, aut quod frequentius videre est, miliaria in cuti efflorescunt.

Summa attentione dignum est illud phoenomenon, quod in hanc incidere solet periodum, sub qua videlicet, lactis e sanguine secretio contingere solet in ea organa, in quibus maxima locum habuit irritatio. Frequentissime id in cavo abdominis fieri consuevit cum summa semper vasorum sanguiferorum exaltatione aut inflammatione omniumque symptomatum augmento conjuncta; consuetim novo insultu febrili omnium vehementissimo ingruit, quandoque brevissimo tempore cum summa virium jactura ipsum dein fluidum secretum vi-

cina organa pessime adficiens; unde brevi post maximae conspiciuntur in oeconomia muliebri devastationes, ita ut fluidum tale secretum ipsam vitam apoplectice extingere valeat; cujus morbi perniciosum characterem pathologicae testantur sectiones.

Aetiologia. Inter causas febrim puerperalem producere solentes ignorantur pleraeque, multae tamen patent.

Sporadice communiter inducitur per errores in diaeta commissos, et per ineptam parturientis tractationem. Refrigerium et inde impeditum transpirationis negotium communissimam constituit causam, qua fit, ut cutis functione suppressa antagonistice interiora concitentur organa morbum hunc excitantia. Ita non minus corpus nimio calore fotum similem constituit potentiam nocentem, hac ratione fit, ut copia sudoris justo major facilius quoque derivet ab uberibus calorem, coexistentibus praesertim miliaribus. Idem morbus exoritur peccante ciborum quantitate et qualitate, intempestivo et incongruo remediorum usu, hinc eximendus est nec non talia remedia, quae actionem organorum uropoëticorum exaltare valent, confert huc etiam urinae retentio. Denegatio uberum, sera neonatorum ad haec applicatio, aut praematura ablactatio frequentioribus causis adnumerari possunt; item animi pathemata inter quae anxietas et ira principatum tenent. Morbi denique systematis uterini huc accenseri debent.

Febris puerperalis epidemica per contagium excitatur, ut hoc in institutis parturientium, in nosocomiis observare licet, cui contagio tempus frigidum humidum simul praecipue favet.

Exitus. Febris puerperalis non semper morte terminatur, sed vel in sanitatem vel in alios etiam transit morbos. Speratur exitus optatus, si nullum adfectum sit organon nobilius et lactis metastasis nullibi adhuc facta, sed fluidum illud per totam circulet sanguinis

massam. Cognoscitur exitus hic futurus per omnium symptomatum remissionem, praecipue autem per vitalem faciei ac mammarum turgorem, quo functio harum, lactis utpote secretio, perfectior redditur. Praecedit has mutationes sudor, odoris ingrati, nauseosi, allevians tamen; saepe urina sero similis turbida cum sedimento largo crisim felicem annunciat, frequenter utraque saepe via. Transitus hic in sanitatem aeque ac in mortem celerrimo properat cursu, acutum morbi designans characterem. Cuncta organa et systemata citissime in physiologicum redeunt statum, qui omnium primo in systemate uterino observatur. Quo magis autem systema nervosum adfectum conspiciebatur, eo largior constantiorque ejus irritatio, ac in ceterum organismum influxus. — Transitus febris hujus in morbos alios, est confestim in chronicos, sic febris ipsa acuta in lentam transit.

Mala ejus posthuma, si encephalon scenam mali constituerat, sunt: Melancholia, stupor, mania et s. p. Si metastasis lactea ad extremitates, articulos, glandulas facta sit subsequente inflammatione, per suppurationis processum symptomata gravia aboleri solent. Sede morbi in abdominis, aut pectoris cavo constituta viscerum concretiones inducuntur; tandem tabem puerperarum, hydropem ovariorum, ascitem variasque cahexias morbum atrocem excipere, casta docet experientia.

Prognosis in genere semper ambigua. Probabilitas tamen boni eventus major erit, ubi morbus serius a partu die 14ta, 21ma, 28va se insinuavit. Dum malum topicum nec ab initio statim eminet, nec justo citius diminuitur: dum caenesthesis non illico in exordio valde supprimitur; dum uteri et mammarum functio nec penitus, nec tempore longiori suppressae manent; dum liquidi secreti in nullum corporis cavum aut alibi locorum depositio facta; dum denique dolor topicus se aut ad superficiem corporis, aut extremitates recipit. Atque

quo plura horum phaenomenorum simul incedunt, tanto major spes felicis exitus concipi poterit. Quem anunciare quasi videntur: remissio dolorum constans, abdominis tensio imminuta et his correspondens pulsus non adeo a normali aberrans, lassitudo corporis et capitis affectiones notabiliter diminutae. — Contra infaustam anunciare jubent prognosim; si febris brevi post partum puerperam invadit, ubi adhuc systema uterinum magnopere irritatum est; si notabiles uteri laesiones, aut plane status putridus adessent: si morbus sedem in encephalo figit; si metastasis lactea in quapiam dictarum cavitatum locum habet, cum dolore semper crescente; si turgore vitali cito disparente, facies collabatur et color cito evanescat; si sub decursu febris corpus in continuo persistens calore, saepius frigore perstringatur, si exacerbationes cito semet excipiant; si denique accedat pervigilium.

Therapia. Haec unice naturae morbi adcommodata rationalis et utilis esse debet. Petit itaque haec, ut morbose exaltata illa in tribus praecipuis corporis cavis, aut in aliis corporis partibus vigens activitas partim in sua diminuatur sede, partim etiam versus mammas dirigatur. In plures partitur principalis haec indicatio speciliores ut quippe: *a*) febris secundum characterem tractetur; *b*) topicus sanetur morbus; *c*) secretio in mammis corrigatur; *d*) recta uteri et functionis cutis habeatur cura. Ad statum morbi universalis respiciendo, hujus characteri congrua seligimus remedia, qui tam frequenter inflammatorius esse consuevit. Irritativus itaque hic status organorum sedandus erit, nequaquam tamen sanguinem evacuantibus aut salinis remediis, ut sunt: Emulsiones ex seminibus papaveris albi, aqua cerasorum nigrorum et similium. Ad implendam secundam indicationem, si morbus in utero quocumque modo laeso sedem defixerit et characterem inflammatorium prae se tulerit, injectiones tepidae in vaginam ac ipsum ute-

rum ex lacte, ex infuso florum verbasci, chamomillae; herbae meliloti, cicutae imprimis decocto consultissime instituuntur. Si gangraenescentes aut suppurantes partes uteri adsint, cicutae, herbae aromaticae quoque adjungi suadentur. — Excretio alvi, quae cum bilis secretione adaucta comparere solet, haud erit supprimenda, quin imo clausa, dura abdomine tenso hepatis regione ad attactum dolorifica clysmatibus blandis reseranda. Temperatura congrua aequabili sensibilitas et actio superficiei corporis exaltanda et promovenda, ut cutis functio procedat.

Topica partis adfectae tractatio, quam malum in abdomine residens efflagitat, erit infrictio linimenti volatilis vel aliorum linimentorum, nec tamen his solis cura topica absolvitur; praesente dolore, efficaciora in usum trahimus vel linimentum ex oleo amygdalarum cum spiritu salis ammoniaci caustico et tinctura anodyna simplici parti dolenti inungimus, temporis intervallis sicco calore fovendae, increscentibus doloribus cataplasmatum emollientium, resolventium applicatio requiritur, ab applicatione tamen emplastri cantharidum cum emolumento abstinebis. Tantum enim abest, ut stimulo hoc valido abdomini adplicito, irritatam viscerum ejus actionem ad exteriora derives, atque ita tollere valeas, ut potius uteri activitatem per organorum uropoëticorum consensum exaltare, secretionem illam liquidi morbosam ad viscera abdominalia pertrahere, malumque, quod avertere conaris, invitare poteris.

Quo majorem jam nunc topica affectio requirebat curam, tanto solertiorem turbata mammarum functio sibi vindicabit tractationem. Perquam notum est, sine debita in papillis irritatione, lactis stagnationem in mammis mox contingere ac ipsam tandem cessare secretionem, jam vero deficiente sub febri puerperali stimulo hocce, fieri nequit, quin ipsa etiam earum imperfecta reddatur functio. Primum igitur constituit hic rectè tractationis

momentum, crebra infantis ad ubera applicatio. Quodsi huic ad explendam hanc indicationem praecluderetur via, aut si alia quaepiam causa ante febris erruptionem adhuc lactis secretionem praepedivisset, artificiali modo moderata in papillis suctio suscipienda erit. Ipsae porro mammae ac pars corporis superior calore fovendae; excitandae autem aut praesentis saltem sustentandae, ipsarum actionis causa pannis calidis ac fomentis emollientibus ex infuso florum sambuci, verbasci aliorumque, caute adplicitis, haec cura topica mammarum optatò coronabitur effectu.

Adfectio topica encephalon aggrediens, ac metastasi lactea hic loci imminente rei necessitas, hanc morbose exaltatam cerebri actionem deprimere jubet. Antagonistica mitiora ac derivantia sufficientem saepissime suppeditant medelam. Metastasi lactea jam nefors facta; haec ut noxia rejicienda, in quorum locum irritantia linimenta parti dolenti illinienda censemus, quo in casu quoque embrocationes tepidae salutarem suam ostendunt virtutem, quorum effectum vesicans nuchae adplicitum potenter adjuvisse, multiplex comprobavit experientia. Interne calomel dosi minori ad quartam grani partem omni bihorio repetendam tum eo, quod humorum in coagulum propensionem imminuat, coagulatam jam lympham solvat, humorum resorptionem et motum per vasa lymphatica et capillaria intendat, tum etiam quod per stimulum antagonisticum tractum intestinalem irritando excedentem cerebri compescat actionem.

Si autem morbus topicus in cavo thoracis suam defixit sedem, quod dolor ac tussis annunciare solent, eam in cura methodum sequendam defendimus, quam in malo topico in abdomine residente proposuimus, exiguis subjectam modificationibus. Praecipua mammarum est cura habenda, utpote organorum morbo nunc proximorum; quae ut in tepore aequabile perseverent studendum; secretio autem lactis per congruos stimulos conservanda ac

promovenda. Cura morbi universalis eam patietur modificationem, ut ob tussim praesentem emulsio gummoso-oleosa cum aqua cerasorum nigrorum parata exhibeatur. Ad haec attendendum est, licet morbus in quacumque demum trium praecipuarum corporis cavitatum saeviat, si fluxus lochiorum evanescat, uterum simul affectum esse; qui status uteri morbosus diu sine organica ejus degeneratione persistere nequit, ita, ut in statum putrescentiae delabatur. Indicantur tum injectiones irritantes, aromaticae ex infuso serpylli, majoranae, calami aromatici etc. cum vel sine vino eo usque continuandae, donec lochia normalem recuperent cursum.

Omnium maxima attentio erit dirigenda ad partem, in quam secretio liquidi tendat ac per quam causam sustentetur; quibus cognitis, eo niti debet omne conamen, ut malum in prima jam hac radice supprimatur. Summam quoque medici attentionem dolor topicus sibi requirit, ac organon, in quo secretio contingat; stimulus hic morbosus omnibus viribus minuendus et supprimendus erit, per quod ulteriori morbi evolutioni tutissimus ponitur limes. Quotiescunque autem febris ad eum jam increvit gradum, ut secretio liquidi in loco incongruo contingat, semper tum universalis prosequenda erit indicatio, et cum nunc plura nervosa occurunt symptomata, ut: deliria, convulsiones, diarrhoea colliquativa etiam horum ratio habenda. Quare efficaciora et brevi intervallo exhibenda erunt remedia. Quemadmodum in altiori typhi gradu, ita hic quoque opium, camphora, spiritus cornu cervi, valeriana, serpentaria, naphthae diversae, cinamomum, vinum generosius, olea aetherea principatum tenent; quorum virtutem applicatio topicorum remediorum et semicupia exaltare valebunt.

Si jam contigit in parte corporis quapiam metastasis lactea, vigili attendendum est oculo, an non adsit, quodpiam liquidum hoc evacuandi naturae conamen. Quamobrem functio cutis et renum ceu criseos organorum

ex medentis mente nunquam dimittenda; solet namque crisis sudore largo allevante, aut urina spissiore puri haud absimili anunciari, utrumque phaenomenon cum constanti symptomatum decremento incedens, salutare dicendum.

Regimen diaeteticum in febre tam perniciosa consentaneum observari debere, res ipsa loquitur. Animus tranquillus servandus et spe exhilarandus, hinc ab omnibus pathematibus imprimis deprimentibus, ut: metu, anxietate liberandus. — Aër corpus ambiens sit purus, idcirco saepius renovandus, temperaturae mediae, locus, quem aegra occupat, pacificus. — Potus sint aquosi, roborantibus nonnihil juncti ex infuso flor. chamomillae, verbasci, seminum foeniculi, cumini, menthae piperitae, in torpore aqua vino maritata. Cibi offerantur mucilaginosi ex oryza, hordeo perlato, seminibus sago, jura carnosa vitello ovi juncta, caro tenera ubi habetur, ferina praeferenda.

Inflammatio.

Inflammatio mammarum extra et sub puerperio duplicis speciei occurrit; estque vel magis superficialis, textum occupans cellulosum - erysipelacea: vel profundior, ipsas glandulas adgressa - phlegmonosa, hujus inflammationis species pro gradus et sedis ratione diversae: *inflamm. erysipelacea* magis superficialis; mammae inflammatae totius rubor, dolor vehemens punctorius, ardor, tumor, tensio, calor, glandularum tumescentia axillarium, brachium lateris dolentis difficulter-movendum annunciant hunc statum, quem comitantur motus febriles, phoenomena gastrica et sanguinis versus caput congestiones. In *inflamm. phlegmonosa* morbus in parenchymate glandulae ipsius residet; rubor et tumor minores, dolores profundiores ast vehementissimi, la-

ctis se- et excretio cessat, febris valida, mamma tangitur durior et tensior.

Exitus ambarum inflammationis specierum sunt sub largis sudoribus, libero lactis fluxu resolutio; vel iteratis horripilationibus, dolore pulsante, albido colore mediae mammae inflammatae manifestatur suppuratio; vel imminuta inflammatione sed residua parte dolorifica induratio.

Causae hujus inflammationis communissimae sunt; pressio et aliae mechanicae laesiones externae, refrigerium, vehementes animi motus, status gastricus, sauciae papillae, frequentissime vero nimis serotina recens nati applicatio vel intermissum et subito interruptum sub mammarum inflammatione lactationis negotium, quibus lactis secreti stagnationes in glandulis producuntur.

Prognosis. Ipsius inflammationis species et gradus prognosim propius determinant. Erysipelacea et ipsius parenchymatis superficialis adfectio, vix ullum minantur malum, ea gravior parenchyma occupans et in suppurationem nitens, majus portendit periculum. Suppuratio profusior vires aegrae infringit et in febrem nervosam depascentem totum conjicit organismum, ac indolem suam deleteriam in ipsum lactantem transplantat. Induratio vero, difficulter saepe resolvenda, aut perverse tractata, in scirrhum tandem et cancrum degenerata summas vitae integrae struit insidias.

Therapia. Indicationi primae ad evitandos cunctos tristes ex hac inflammatione manantes exitus, causas agentes amovendo, novarum accedentium viam praecludendo satisfacientes; ad ulterius indicationis executionem transgressi, morbum evolutum pro virili profligare, satagemus. Exigit autem haec resolutionem partis inflammatae. Quae characterem erysipelatosum febri mitiori junctum agnoscit mammarum inflammatio praeter vitae regimen moderatum ac diapnoica remedia, ad cutis et tractus intestinalis actionem una augendam, qualia

solutio tartari emetici, in connubio cum leniter purgantibus efficiunt, haud plura requirit remedia. Quorum effectum, sollicita lactis excretio ac externa pulverum plantarum resolventium sicca applicatio egregie promovebit, ab humefacientium fomentorum, cataplasmatum, emplastrorum usu plenarie abstinendo, ut quae sat cito suppurationem, magnam mammarum devastationem inducentem invitari solent. Ubi autem inflammatio phlegmonosa profunde in glanduloso defixit parenchymate sedem, febrimque validiorem comitem habet, ipsum individuum robustum, magisque sit irritabile, dolor topicus intensior, rubor notabilis, mammae turgidae tensae adsint, sola tum hirudinum applicatio, quo ocyus suscepta, mali vim frangere, vitae dein regimen antiphlogisticum et purgantia mitiora curam claudere valebunt. Cura externa quoque haud exiguam praestat hic operam; quo fine panni calidi, ac emplastra imprimis ex meliloto, hyoscyamo, cicuta ac mercurio cinereo utiliter adhibentur. Sustentans morbi characterem, humorum quaepiam dyscrasia, ut scrophulae, arthritis, syphilis his adversis remediis debellanda. Ipsae demum mammae suspensorio levandae ac adversus refrigerium et influxum quemcumque irritantem sollicite tutandae. Neglecta vero horum in prima morbi origine cura, vix amplius spes optatae resolutionis concipi poterit, sed exitus sibi proximos propriis semet manifestantibus symptomatibus petere consuevit; vel enim dolores topici cessant, inflammatio resolvitur ast imperfecte, sed relinquit indurationem aut nodos, sic dictos lacteos; vel vero, ut frequentius, in suppurationem abit.

Suppuratio.

Indicant inflammationem mammarum haud resolutam in suppurationem abire sequentia phoenomena: dolores topici pungentes, lancinantes in pulsatorios convertuntur acutiores, turgor mammarum increscit, rubor

intensior in parte quadam magis acuminata, punctum offert flavicans (saepe haec pars ad attactum fluctuat) noctu sudores adparent, in febri perdurante, calor cum horripilationibus alternat. Qui processus opportunis promovendus ac moderandus erit remediis. Conveniunt huic scopo cataplasmata herbarum emollientium, cicutae, meliloti, hyoscyami, eo usque continuanda, donec omnis durities dissipata, puris secretio cessaverit; ipse puris effluxus viribus naturae committi, nequaquam abscessus arte aperiri, ab expertis commendatur practicis, ut qui longe tardiorem admittit sanationem. Febris suppuratorium processum comitans initio adhuc characteris inflammatorii antiphlogisticis tractando; serius autem, ubi per puris secreti copiam reproductio organismi labefactatur, vires infringuntur et ipsius febris charactere in oppositum verso ac lapsis organismi viribus per nutrientia ac moderate roburantia succurendum. Minus artificialiter sic tractata mammarum suppuratio, ut plurimum brevi tempore, spatio videlicet 14 aut 21 dierum terminari solet. Nocet vero et diuturnum habet morbus decursum, si cavum abscessus, quod chirurgis communi in usu est, ope lintei carpti expleatur; distinqui enim haec debet a filorum parcorum, ne praemature cavum claudatur, impositione. Remanentes nodi aut induratio propriam requirunt sui tractationem.

Induratio.

Sunt hi nodi lactei, qui haud raro cum scirrho confunduntur. Etenim non omnis induratio, etsi glandulosum occupet mammarum parenchyma, scirrhosa dici potest, utpote characteribus propriis, exitu ac cura inter se differens. Impeditae aut suppressae lactis e vasis galactophoris excretionis sequela est; unde ablactatione praematura, aut lactationis negotium penitus intermissum, ac tandem inflammatio communissimam eorum constituunt originem. Favent iis corporis constitutio

scrophulosa, arthritica et quaevis alia humorum dyscrasia. Sedem vel textus cellulosus vel ipsa glandularum substantia iis praebent. In casu priori inaequales et tuberosi raro valde duri tanguntur et facilius admittunt sui resolutionem, aut per suppuratorium consumuntur processum. Ipsum parenchyma induratum difficilius curatur, et haud raro in scirrhum quoque degenerat. Nodi igitur lactei et induratio bonae notae illi dicuntur, qui attactu non dolentes (aut si dolor interdum compareat, brevi rursus disparet) — mobiles, a suis natalibus non increscentes, sed potius decrescentes, nec duriores sed molliores fiunt, durantque per annos, quin sive augmento sive dolore ulla pariant incommoda. —

Unde exitus et prognosis eorum maximam felicis eventus appromittunt spem? quousque enim nullos aut saltem exiguos excitant dolores, sedem in celluloso magis habeant textu, resolutionem ad externorum internorumque pharmacorum usum succedere, haud rara docuit experientia. Qui autem profundius in parenchymate defixere sedem, quippe sensibiles dolentesque pedetentim sed fixi redduntur, ii ne in scirrhum transeant, merito metues.

Therapia. Quod curam attinet, practicorum summi simplicissimam maxime proficuam censent, utpote soli vitae regiminis debitae observantiae, quandoque vi naturae medicatrici cedunt, resolvuntur, disparent. Praecipue huc conferunt: animus hilaris, aër purus, moderatus corporis motus, ciborum et potus adaequata quantitas et qualitas, temperatura corporis aequabilis, ea mammarum imprimis observanda, quae praeterea adversus omnes violentias externas praemuniri debent. His non sufficientibus ad pharmaca recurrimus, quae tum optato cum successu propinantur, ubi causarum indoli ac corporis constitutioni adcommodata fuerint, ceu momenta topicam universalemve tractandi methodum determinantia. Si dyscrasia scrophulosa, arthritica, syphilitica etc.

nulla cognita causa externa morbum produxerit, universalis indicata est cura; contra individuum laudabili corporis constitutione praeditum malum topicum a causis topice etiam agentibus gerens, interna et universali vix egebit tractatione. In topica nodorum lacteorum cura a lenioribus ad efficaciora ascendendo progredimur, inchoando cum ceratorum mollium, ex cera, spermate, oleo amygdalarum aut hyoscyami anatica quantitate mixtis applicatione; emplastrorum ex gummatibus cum sapone veneto, aut cum oleo hyoscyami vel amygdalarum junctis, cum parca spiritus salis ammoniaci et tincturae opii simplicis quantitate. Horum usu per tres usque sex hebdomadas sine notabili effectu continuato, epidermide non adeo irritabili aut tenera, ad fortiora transimus emplastra ex: cicuta, hyoscyamo, meliloto, gummiresinis, mercurio cinereo cum aromaticis jungendo constantia. Permanente nihilosecius induratione, ad balnea tam vaporum, quam ex aqua tepide parata initio localia, serius integra recurrimus, quin imo ad actionem mammarum augendam excitandamque, cucurbitae ventosae brachiis imponi, ac scintillas galvanicas ad partes induratas, felici successu immitti, auctores perhibent. Si cum cachexia quapiam incedant, his interna, naturae morbi convenientia adjungi debent remedia. Hinc jam arnica jam cicuta praesertim calomeli juncta, jam hyoscyamus, mercurialia, antimonialia, jam diaphoretica, jam diuretica: consultissime exhibentur. Tutissime ac simplicissime quandoque indurationes similes per graviditatem aut lactationis periodum subsequentem sanantur: quo observato pannorum tepidorum applicatio, sufficiens praebebit auxilium. Ast dum mammae induratae dolere incipiant, transitumque in scirrhum facere minentur, tum hujus cura suscipienda.

Scirrhus mammarum.

Intelligitur nomine scirrhi mammae chronica horum organorum induratio, se per majorem duritiei gradum, dolorem lancinantem saepius revertentem aut continuo ardentem et per nisum in cancrum transeundi manifestans. Cognoscitur porro, quod longiori tempore sensum ingratum ponderis ac molestiae in mamma excitet in singulo organismi morbo; in catameniorum fluxu et in omni aëris vicissitudine partem capiat, quae influxu suo efficiunt, ut volumine increscat, reddatur durior et dolores lancinantes semet a parte scirrhosa per totam mammam extendentes breviora teneant intervalla, longiusque perdurent. Haud frequenter longo perdurat tempore, quin scirrhus in cancrum transitum faciat, sed nec desunt casus, ubi ne per diem quidem immutatus manet, sed continua capit incrementa, etsi non extensione, intensitate tamen; ideo attentionem observatoris facillime eludens. Agnoscitur tandem et vel maxime eo, dum totius organismi habitu cachectico inducto serius vel ocyus nodus summe et subito dolorificus, integumentis lividis, tandem discoloribus, fissis in ulcus ceu cancrum erumpit.

Est vero scirrhus mammae vel idiopathicus, vel symptomaticus.

Idiopathicus, violentiarum externarum immediate in organa agentium, ut: contrectationis mammarum frequentioris rudiorisve, contusionis, compressionis, corporis cujusdam peregrini glandularum laesionem inducentis, epidermidis derasae, balneorum frigidorum, temperaturae vicissitudinis, stagnationis lactis etc. sequela.

Ad symptomatici scirrhi causas ceu sequelam dyscrasiae cujuspiam universalis, referuntur scirrhus et cancer uteri, ovariorum et in aliis glandulosis corporis partibus sitis, suppressa exanthemata et alia his similia. Eruptio ejus celerius provocatur per dispositionem scro-

phulosam, arthriticam et alias, per debilitatem, inediam, victum depravatum, per pathemata animum deprimentia, retentiones praeprimis fluxus menstrui suppressi, aut cessantis penitus in annis jam clymactericis. Quare scirrhus non semper ut malum topicum, sed longe frequentius ut universalium morborum symptoma considerari debet, hinc etiam frequentius ac solet, ejus quoque causa in universi organismi cacochymia querenda. Frequentissime ejus origo in uterino residet systemate, estque aut uteri aut ovariorum affectorum symptoma. Hinc tam in eruendis hujus morbi causis, quam etiam in faciendis indicationibus, attentum requiritur systematis uterini examen ac corporis constitutionis ipsius, ne in errorum labyrinthum delabamur.

Prognosis semper ambigua. Magnum quoad hanc interest discrimen, an morbus solum topicus, vel tanquam symptoma universalis dyscrasiae habendus sit. Si primum obtinet, si recens non dolorificus haud raro et sui admittit resolutionem, sin minus, mobilis tamen, partibus vicinis non adcretus, nec glandulas vicinas subaxillares in consensum traxisse aut febrim lentam attulisse, deprehendatur; morbum constituit manu chirurgica medicabilem. Si posterius locum habet, quodcumque tentetur remedium, malum saltem augere et mortem ipsam accelerare valet, verum namque sistit, secundum immortalem Hippocratem „noli me tangere.» —

Therapia generalem sequens indicationem: primae indicationi influxui potentiarum nocentium corpus subtrahendo; alteri ipsum morbum sufferendo; tertiae symptomatibus succurendo; ultimae tandem recidivam praevertendo satis faciendum erit. — Ad implendam indicationem alteram cura morbi indoli quam maxime accommodata unice salubris esse potest. Quousque itaque induratio scirrhosa nondum late extensa nec dolorifica, nec lapideae duritiei occurrit, morbumque idiopathicum constituit, resolutio intendenda remediis solventibus, aut

in cognitam causam agentibus. Si universalis quaepiam humorum dyscrasia, si animi adfectus deprimentes, menstruatio turbata morbum produxerint, sustententque, in has agendum. Quem in finem cuncta ea, in cura nodorum lacteorum commendata, convenienter adhibebuntur. Indicataque tum praesertim erunt, dum aegra operationem non admittit, dum scirrhus immobilis, partibus vicinis adcretus, dum tuberosus et lapidea duritie notatus sit, quo fieri potest, ut mobilis reddi et exstirpari possit. Neque tamen, si non prosint, diu continuanda, ne transitus in cancrum acceleretur. Certissimum praesidium contra fatalem hunc semper pro aegra exitum, nulla humorum dyscrasia contraindicante, in mature satis instituenda consistit encheiresi; quin imo et cachexia praesente, scirrhus quandoque cum felici successu exstirpari potest, etsi nequaquam semper radicitus malum tolli, ad longius tamen tempus mali exitiosi reditus differri, cum ad novi scirrhi efformationem longiori saltem opus sit mora, quam ad hujus in cancrum transitum requiratur tempus. Momenta circiter sequentia encheiresin hanc quo ocyus suscipiendam indicant: scirrhus ceu universalis cacochymiae sequela; diu durans; in annos clymactericos incidens; si antea glaber et mollis nunc inaequalitates et tubera prae se ferat, duritiemque acquirat lapideam; si diu antea ejusdem semper magnitudinis subito volumine increscat; si denique dolorificus evadat. — Exstirpato tandem scirrho, remediis in cura de nodis lacteis laudatis porro utendum, ut nisus in recidivam tollatur.

Cancer mammae.

Faventibus conditionibus summum tandem scirrhus adipiscitur perfectionis gradum, singularibus semet manifestans symptomatibus. Initio in parte scirrhosa dolor pruriens ac lancinans cito disparens comparet, serius continuus fit, sensum acuum pungentium profunde in-

mammis excitans, qui in ardentem conversus, diu noctuque aegram affligit. Eodem simul tempore scirrhus extensione et intensitate increscit ita, ut major, durior, tuberosus minusque mobilior evadat; vasa in ejus circumferentia varicose extensa, lividum colorem assumentia redduntur; dum videlicet ob pressionem, quam glandula tumida exerit, sanguinis impediatur circulus, hinc color cutis ruber, purpureus, lividus, flavus, flavo-bruneus, nigricans, ac dein ipsa cutis extenuata rumpitur efformaturque nunc ulcus marginibus duris, inaequalibus, spongiosam prae se ferens naturam, dolorificum, sanguinem facile plorans, quod tum fundit ichorem tenuem, odoris nauseoso-dulcis, coloris brunei, plumbei, nigricantis, acrem partes vicinas arrodentem, excoriantem, qui ichor partes adfectas summopere devastans semper profundius serpit, universi tandem organismi oeconomiam subvertens, utpote reproductione debilitata, in humorum massam absorptus, in vicinis glandulis subaxillaribus ac ipso utero similem inducit statum, febrim tandem hecticam, mortis exoptatae praecursorem, adducit. — Ex cujus natura intelligitur, non omne ulcus, quamvis dolorificum, cancrum dici posse, solummodo illud, quod ex scirrho praeexistente, i. e. glandulae induratione chronica, natales suos derivat; quod actu adhuc in massa scirrhosa deprehenditur, et quod demum ad partes vicinas extenditur, lateque serpit.

Aetiologia. Originem mali hujus teterrimi cunctae eae potentiae nocentes adducunt, quae normalem reproductionem, et praeprimis secretionem tam universi organismi, quam ipsarum mammarum pervertunt, sive eae pure dynamice aut chemice, sive mechanice influant, et glandulosam horum organorum substantiam adgressae, structuram vel ex toto vel ex parte laedant. Nummerantur igitur in cohorte momentorum causalium mali hujus deleterii praeter ea, quae scirrhum adducere valent,

in cancrum tandem conversum, adhuc praecipue sequentia: locales potentiae nocentes, chemice aut pure dynamice agentes, quo vesicantia et acria remedia, praesertim cosmicorum perversus refertur usus; animi pathemata ut: amor infelix, anxietas, metus; — temperamentum melancholicum; victus incongruus reproductionem varie pervertens, praesens jam secretionis localis eminens error, aut alter morbus topicus, per incongruam tractationem in hunc statum deductus; cacochymia universalis arthritica, scrophulosa, syphilitica. Imprimis autem, dum mammae destinationi propriae haud respondentes, officio suo non fungebantur; hinc est, cur frequens sit carcinoma in sterilibus, apud virgines decrepitas, et eas, quae contra naturae et destinationis leges voto castitatis adstrictae, frigidis in claustris inclusae, sacram vivunt vitam; nec non apud matres quidem, sed quae venustatis magis quam parvulorum studiosae, ubera eis denegarunt. Conferunt et ea, quae circulum sanguinis vario hic modo interturbare possunt ut: abusus spirituosorum, anomaliae catameniorum, haemorrhagiae, tandem ingruentes anni clymacterici. Sed nec eae hic praeteriri possunt curandi methodi, sub haemorrhagiis puerperarum passim adhibitae, tanquam causae mali oriundi, quae fomentationibus et injectionibus frigidis fieri consueverunt; sera item parvulorum ob vigens passim adhuc praejudicium ad ubera adplicatio; ac denique specialis congenita aut hereditate accepta dispositio.

Exitus. Prognosis evoluti jam carcinomatis est infaustissima. Ulcere enim aperto et vicinae indurantur glandulae subaxillares, ac sensim totum fere systema lymphaticum affectum conspicitur. Induratae hae partes incipiunt dolere, ipsum brachium partis affectae intumescit oedematose, haud raro et pareticum evadit. Ipsum ulcus in mamma augetur et profundius serpit, in pluribus locis efformantur ulcera marginibus duris, in-

aequalibus, ichorem fundentia, qui sanguine mixtus vicinas devastat partes, ipsa linteamina nigro tingens colore, dolores lancinantes intensiores redditi, tandem intollerabiles evadunt somnum fugantes, appetitus prosternitur, ac integri organismi reproductione fracta, febris comparet hectica cum sudoribus largis viscidis, corpus consumentibus juncta. Atque sic summum perfectionis gradum morbus adeptus, aut febri lenta, aut haemorrhagia e vasis arrosis lethali subsequente, sub summis aegrae cruciatibus morbi scena clauditur.

Therapia. Cura igitur omnis in hoc morbo frustranea, in sola consistere potest operatione chirurgica, siquidem et hujus exitus felicis rarissima legantur exempla fide digna. Cum enim et in his casibus quaeri possit, an ii veri fuerint cancri? — Testantibus namque fide dignissimis auctoribus, fuerant ii saepe dolentes scirrhi, qui pro occultis cancris habiti, nullam post operationem exulcerationis prae se ferebant notam.

Tales et enim testantibus Mohrenheim et Fearon, per statum biliosum irritati redduntur dolorifici, evacuantibus sopiendi; imo nec deerant casus, ubi indurationum scrophulosarum pro cancris operatio facta fuerat. —

Cauta imprimis hoc in opere requiritur chirurgorum circumspectio, et priusquam operi manum admovent, rite cuncta examinent momenta indicantia et contraindicantia necesse est. Prohibent eam circiter sequentia momenta: virium universi organismi ad imum fere dejectio, comitata febri lenta; nimis diu protractus morbus, quo in casu vulnerum consanationem vix subsecuturam, jure metuendum; — concretio cum partibus subjacentibus, ubi videlicet pars affecta radicitus resecari nequit; — si cancer symptomatice aut sympathice evolutus sit, utpote morbi cujuspiam universalis, praecipue systematis uterini sequela. In simili enim casu, exstirpato cancro in una parte, in altera mox comparet

extensionis majoris, magis saeviens ac celerrime totum organismum morti tradens; denique si congenita aut hereditate accepta adsit in cancrum dispositio. — Uterus prae cetera omnium frequentissime adficitur organa, summam proinde attentionem in hunc operans convertere debet. Nec ulla prius tentanda encheiresis, quam adcurata systematis uterini praecesserit investigatio; praesente leucorrhaea chronica, catameniis cum dolore fluentibus, fluxus irregularis, suppressio, justum incutiunt timorem, uterum quoque esse adfectum. Repertis autem in collo uteri, aut parte ejusdem inferiori scirrhosis indurationibus, omne suffertur uteri adfecti dubium, omnisque tum contraindicatur mammarum operatio. Sicubi tamen ea indicaretur, per sequentia circiter momenta determinari possit: dum mobilis, nulli parti vicinae adcretus deprehenditur; dum in nulla alia corporis parte scirrhesae adsunt indurationes, dum malum unice topicum constituit morbum, si imprimis ab externis inductus fuerit potentiis nocentibus; dum nulla in eum praesens adest dispositio hereditaria. Si quando igitur plura adessent momenta, felicem operationis exitum, praevia instituta accurata investigatione, appromittentia, hacque feliciter peracta, oportunum erit, remediis uti, post scirrhi exstirpationem commendatis, ut, quae dispositionem in malum hocce penitus tollere, valeant. Nulla vero possibili operatione, paliativo saltem modo, gravis morbi symptomata mitigare, medici humani est officium.

Inflammatio papillarum.

Evenit, ut in lactantibus puerperis 3^{tio} aut 4to a partu die papillae, dum infans sugit, dolere incipiant, calor in iis exaltetur, rubor intendatur, contemplatione attentiore adhibita, epidermis mox secedere observetur. Continuata lactatione, in partibus epidermide privatis, cavitates et fissurae sanguinem fundentes efformantur;

tempore, quo suctione libera sunt ubera, loca haec excoriata crustis teguntur tenuibus, singula parvulorum applicatione cum dolorum augmento, secedentibus. Frequentissime isthoc malum febri quoque et aliarum in oeconomia animali functionum perturbatione comitatur. Dolores enim hi atroces, convulsiones saepe provocantes somnum fugant, anxietatem et sudorem vires exhaurientem proliciunt, appetitum prosternunt, sicque totius oeconomiae animalis vim infringendo, exitiosum adducere valent statum.

Causae. Praedisponunt ad papillarum inflammationem epidermis tenerior, nulli stimulo adsueta et pinguedine grandes et dependentes mammae; quarum justa neglecta mundities, sudores acres, humorum hic loci contentorum dyscrasia, affrictus papillarum, pressio a vestimentis vehementior, thoraculis praesertim; demum et incongrue adhibita remedia ad formandas majores papillas, et ipse denique adultiorum jam infantum fortis nimis suctus, totidem causas constituunt occasionales.

Prognosis. Morbus hic ingravescens ipsum lactationis munus ob dolores atroces impossibile reddens, lacte hinc non absorpto, stagnante, nodorum lacteorum efformationem, eorum inflammationem, in suppurationem consuetim transeuntem provocare solet, atque dispositione relicta, singulis redire solet puerperii periodis.

Therapia. Haec duas complectitur partes; curam videlicet prophylacticam, et curam therapeuticam; quarum prior sibi expostulat, ut nimia cutis teneritas et sensibilitas obtundatur, sufferatur, epidermidi tale procuretur robur, quo sub lactationis periodo excoriationi resistere valeat. Consultissime instituuntur hunc in finem, quatuor aut sex ante partum hebdomadis quotidie lotiones cum spirituosis, ut: vino, aqua reginae hungariae, colonensi et similibus. Cujus usus principalis praecipue commendandus est iis, quae hoc malum jam perpessae novam morbi invasionem metuendam habent.

Morbo jam evoluto, causarum amotione primae satisfiet indicationi, quibus sublatis, ad secundae impletionem transimus. Quae olim et hodie passim tam a medicis, quam ab ipsis puerperis in usum trahebantur, tum remedia emollientia ut: ceratum de uvis, oleum ovorum, butyrum insalsum, et his similia; tum etiam exsiccantia, ut: aqua Goulardi et cuncta plumbi praeparata, solutio item mercurii sublimati corrosivi, non solum commendari non merentur, sed tamquam sanationem ipsam impedientia, ac lactantibus imprimis facile deleteria, anque pesteque magis fugienda erunt. Maxime congrua hoc in morbo spirituosa esse remedia, quotidiana evincit experientia. Talia sunt: vinum generosum, spiritus vini, serpylli et cuncti spiritus aromatici, pro se vel cautissime cum leniter adstringentibus juncta, frequenter papillis applicanda. Requiritur simul, ut longior inter singulam parvulorum ad ubera applicationem interponatur mora. His non sufficientibus fit, ut remedium ex pulvere chinae, gummi arabico aut colophonio compositum, partibus excoriatis inspersum, citam adducat sanationem. Ubi nec hocce sufficit, artificialium papillarum ex vitro aut ebore, melius ex gummi elastico paratarum applicatio, quarum ope lac exsugi et lactatio continuari possit, quamvis non omni destituatur utilitate, attamen nec communis ejus fieri potest usus, tum quod pauci modo infantes êas capere velint, tum, quod noxiae faveant immunditiei, nec quamvis adhibita tutum semper ferunt auxilium.

Galactorrhoea.

Galactorrhoea est illud profluvium puerperis proprium, sub quo secretio et excretio lactis contingit e mammis relative major ita, ut inde totius organismi oeconomia detrimentum capiat. Dicitur completa, ubi praeter suctionem et papillarum irritationem lac sua fluit sponte, nec non ubi in individuis constitutione corpo-

ris laudabili praeditis, infante jam oblactato, per hebdomadas imo et menses larga quantitate ejus continuat stillicidium. Incompletam vocant, ubi mammae lac sponte haud fundunt, verum singula infantum ad ubera applicatione vires mulieris notabiliter diminuuntur, subvertuntur. Debiliores magisque irritabiles cum eminenter evolutis mammis, hinc et magna lactis secreti copia, dotatae mulieres frequenter jam primis puerperii hebdomadis galactorrhaeae subjectae, persentiunt capitis dolores, vertiginem, aurium susurrum, oculorum obnubilationem, nimiam ad sudores proclivitatem, cardialgiam, debilitatem, dispnoeam, cordis palpitationem, digestionis molestias, anorrexiam, calores fugaces, horripilationes, fluxu simul lochiorum disparente, quae cuncta phoenomena tanto graviora semper recrudescunt, quo frequentius ubera capiunt infantes, aut quo major lactis effunditur copia.

In sanis tamen et robustis individuis, symptomata haec serius, 6to, 8vo, 9no aut 10mo obstruantur mense. Quod si ultro continuetur lactatio, morbo quoque altius progrediente, comparet febris, succedit emaciatio universi corporis, dolores in extremitatibus et columna vertebrarum, inque ipsis mammis pungentes, tussis initio sicca, mox cum sputis purulentis juncta, tremores, spasmi accedunt, facies collabitur pallescit; tandem febris se associat lenta, totum consumens corpus, (tabes nutricum, atrophia lactantium et tabes lactea dicta) cui tum, debitis auxiliis deficientibus, sat cito succumbit aegra.

Causae. Praedispositione in hunc morbum eminenti praesenti corpore per alios jam exhausto morbos, excitantes causae leviores etiam, morbum generare possunt. Major tum mammarum imprimis eminentius evolutarum irritabilitas ac functio exaltata efficit, ut plus lactis secernant, quam sine detrimento sufferre valeat organismi integri status. Tantum enim abest, ut galactor-

rhoea tabescentis corporis constituat sequelam, ipsaeque tabescere debeant mammae; ut potius, illo tabido, hae magis turgidae, rubrae ac calidae deprehendantur, ipsas erigentes papillas. Secernunt vero lac cum praevalente principio saccharino, et vel in maxima copia, aliquot post captum cibum horis, aut sub brachiorum motu *).

Therapia. Prima in hocce morbo sanando indicatio petit, ut morbose exaltata mammarum irritabilitas compescatur, sufferratur. Quamobrem lactatio, ut causa irritans, intermittenda, et omnis stimulus sollicite a papillis arcendus. Quod tamen lactationis negotium sensim pedetentimque sufferrendum suademus, ne lacte congesto inflammationi ansa praebeatur; sensim igitur infantes ab uberibus desuefaciendi. Ciborum et potus quantitas et qualitas congrua exhibenda, ne lactis ubertas secernatur; praesente alvo constipata purgantia mitiora, inter quae sulfas lixivae, ad praepediendas metastases lacteas prae ceteris commendatur, haud tamen cum peculiari ac alia hujus generis salina remedia effectu, ut: carbonas magnesiae vel pro se, vel cum cremore tartari exhibitus; item electuarium lenitivum, aut folia sennae effectum praestant optatum; haud commendante celeb. Siebold methodum diaphoreticam et diureticam. Ubi his optatum non adsequimur finem, ad efficaciora, irritabilitatem organorum horum morbose exaltatam compescentia, transeuntes, acida exhibemus mineralia, imprimis liquorem acidum Halleri et spiritum vitrioli. Ubi organorum digestioni ac assimilationi dicatorum prostratae vires squalent, amaricantia, stomachica indicantur; ubi per morbum diu durantem tabis

*) Joseph Frank in actis instituti clinici caesareae universitatis Viennensis annus 2dus pag. 86, ubi decursum galactorrhoeae narrat, suspicatur affinitatem hujus morbi cum Diabete mellito.

symptomata comparerent, ibi secundum repetitas practicorum celeberrimorum observationes, aër purus, siccus, ruralis cum usu acidularum diutius continuato, saepe omnia delet morbi vestigia, subinde tamen ob gradum debilitatis majorem, lichen islandicus, cortex chinae, myrrha, ferrum in auxilium vocanda. Topice temperatura frigidior, mammarum et brachiorum lotiones cum aqua frigida, cum spiritu vini maritata linteamina mammis adponenda, brachiis cucurbitae ventosae adplicandae, aut sinapismi imponendi probatae praestant virtutis remedia.

Tabes mammarum.

Haec in delicatioribus ac ex alto imprimis stemmate descendentibus, tanto frequentiorem constituit morbum, quo majorem sexus hic culturae sic dictae dederit operam, nec caret frequens hocce malum fundamento. In prima etenim statim juventute, prout totus vivendi modus nimium artificialis, ita et pro vario vigente more organa haec, jam nimium obvelata, jam vicissitudinibus aëris exposita, fere denudata, jam thoraculorum ope compressa coarctata, in sua retinentur evolutione. Accedit ultro, ut jam matres felices ex falso pulchritudinis jacturae metu, naturali legi adversariae, nobilissimo nutricis fungendi officio semet subtrahant, sicque inertiam horum organorum justo citius provocent torporem, laxitatem, marcorem, tabem. Marcent autem praecipue post varios morbos, qui in systema praesertim uterinum saevierunt, tum eos, qui totius organismi adgrediebantur oeconomiam. Fieri enim nequit, ut deficiente totius corporis nutritione, mammae quoque in sua non patiantur vitalitate ac reproductione, quae eo magis afficiuntur, quod organa in corporis peripheria sita, in morbo cum organisationis detrimento juncto, primo omnium imminuantur. Hinc fit, ut mammae in plurimis morbis marcescant et tabescant. Functione autem systematis uterini penitus tandem cessante, vita itaque et activitate al-

tiore hic jam exstincta, organa quoque haec lege naturae minus nutrita ac stimulata cum annis clymactericis suum amittunt vigorem, vixque alias in annosa muliere conspicies mammas, quam tabe consumtas, dependentes plicas.

Vitia mammarum.

1. *Mammae grandes.*

Nimis auctum mammarum volumen ab accumulata in textu earum celluloso pinguedine dependens, abnormi organorum absorbentium et reproductionis debilitati in glandulis meseraicis debetur, utpote quae particulas chymi oleosas imperfecte absorbentes, sanguini tradunt, hic vero eas vel per totum corpus in textu celluloso, vel solum in mammis deponit, quin aequali rursum quantitate resorberentur. — **Causae** abnormis mammarum aucti voluminis nummerantur plures, ut: diuturna animi et corporis quies, cum vita otiosa sedentaria nexa, in subjectis phlegmaticis, inertibus et iis, quorum vis organorum digestioni ac chylificationi dicatorum, per humorum jacturam, profuso aut frequenti menstruorum fluxu, haemorrhagiis ex variis corporis partibus; per venaesectiones, purgantia, emetica etc. debilitata, exhausta fuit. — Ad removendum tam molestum tamque noxium futurae nefors functioni horum organorum malum, talia opponi debent remedia, quae vim reproductionis exaltando, systema glandulosum quoque erigere valent, id vero praestant roborantia cum favente vitae regimine juncta. Vita sedentaria, otiosa et inners commutanda cum vita activa, motum corporis moderatum exigente: alia in aëre libero puro ipsique animo grata occupatio, magnam sibi hic vindicant partem. Ad ipsam vim resorbentem in vasis mammarum augendam, ut topica remedia ab auctoribus adhibenda commendantur praecipue: frictio mammarum cum mastiche, cauta cum saccharo, baccis juniperi communis infumatorum pannorum adplicatio.

2. *Nimia sensibilitas.*

Nimia mammarum et papillarum sensibilitas, majoris ut plurimum totius organismi sensibilitatis et teneritudinis sequela. Excitatur ea, aut sustentatur saltem, dum excessivo mammae foventur tepore, dum contrectationes lascivae stimulum excitant sexualem, dum refrigerium aut cosmicorum usus in eas egere. Praeparat sensibilitas haec major ad varios morbos, imprimis ad papillarum excoriationem, puerperii periodo facile erumpentes. — Remotio praesentium et evitatio futurarum nefors causarum, ac dein medicamina, sensibilitatem hanc morbosam sufferentia, atque roborantia, si universalis debilitatis sint symptomata, et leniter adstringentia, ut: lotiones cum aqua saponata; vino rubro; spiritu vini; infuso saturato gallarum, earum tinctura, et sic dictum Gallorum Eau de lavande, sufficientia praebent auxilia. Quorum usus aliquot praesertim ante partum hebdomadis faciendus.

3. *Defectus erectionis papillarum.*

Ut infans papillas apprehendere et sugere possit, debent eae erigi ac supra areolam elevari, quod dum in individuis quibusdam ob earum flacciditatem et inertiam haud fit, magnas sub lactationis periodo pariunt difficultates. — **Causa** hujus vitii saepe in defectu sensibilitatis requisitae quaerenda, aut nimia papillarum rigiditate, utpote in primiparis, et jam aetate provectioribus mulieribus. — Ad erectionem hanc producendam tempore graviditatis jam congrua suscipienda erit tractatio. Potest enim vel ipsa gravida digitis saliva humectatis eas leniter fricare et protrahere, cum utilitate praeterea applicantur vitra sugentia, huic fini formata; si rigidae sint papillae, aqua saponata aut oleo blando inungi possunt, ipsae dein mammae calidae servandae.


4. *Papillae parvae.*

Nimis parvae papillae graviditatis tempore aeque suam reposcunt attentionem, tanto magis, quod auxilia sub puerperii periodo nimis tarda forent. Vitium hoc cum doloribus junctum quandoque papillarum inflammationem et excoriationem inducit, quarum cura haud semper succedens ipsi mammarum inflammationi cum suis sequelis ansam praebet. — **Causas** agnoscunt plures: vel enim sunt vitium primae formationis, vel sunt depressae per varia vestimentorum, pectus constringentium genera, vel sunt retractae solum, vel penitus desunt. Si parvae sint, omnis vitanda erit pressio papillae, digitis saliva illitis fricandae, aut instrumentorum ope vel per alias personas sugentes protrahendae. Lotione dein spirituosorum ope cura adjuvatur. Impressae et nimium retractae papillae efficaciore methodo opus habent, eae frequentiorem sibi exposcunt instrumentorum applicationem, quarum dein retractio secundum celeb. Osiander ope annuli ex resinis formati impeditur. — Si rigidae sint; fomentis emollitae instrumentis protrahuntur eo usque, donec justam acquesiverint magnitudinem. In defectu papillarum plenario, vel per morbos eas consumentes, vel per vitia primae formationis inducto, prout nulla ratione produci poterunt, ita lactatio quoque in hac mamma impossibilis manet.

5. *Papillae magnae.*

Aliquando majorem papillae ac deberent acquirunt magnitudinem. Haec vel absolute vel saltem relate ad infantis os excedit, quo in casu lactatio impedita est. —

Uterque hic status adstringentia sibi deposcit remedia, ut: solutionem gallarum saturatam, decoctum corticis quercus, vinum rubrum et s. p. ac tandem volumen illorum per vitrum sic dictum formationis ad justam reducitur magnitudinem.



Theses defendendae.

I.

Sanitatis varii sunt gradus, perfectissima vix datur, nec si datur, diu durare potest.

II.

In scrophulis sol, aër et aqua plus praestant, quam pharmaca.

III.

Studium chemiae medico et chirurgo maximi praetii.

IV.

Debilitas apparens et morbi quidam mammarum nulla sunt lactationis contraindicantia.

V.

Morbi dynamici sanatu sunt faciliores, quam morbi organici.

VI.

Ventriculus cibos subigens delicatulos, easdem habebit vires, quam manus, quae solo calamo scriptorio excercetur.

VII.

Medicus castrensis praeter medicinam et chirurgiam etiam artis ophtalmices et obstetritiae gnarus sit oportet.

VIII.

Nonnisi exacta naturae morbi cognitione felicem praxim sperare licet.

IX.

Aurum metallum animum corrumpit, aurum sal corpus sanat.

X.

Robur majus in latere hominis dextro non ex quadam naturae lege, sed e consuetudine et exercitio derivandum.

XI.

Peregrinatio multorum morborum imprimis chronicorum optima est medicina.

XII.

Quae in regno naturae palato placent, neque stomacho nocent nisi per excessum.

XIII.

Si chloroseos curam martialibus claudis finis coronat opus.

XIV.

In morbis acutis ad crises vel maxime advertere medicum oportet.

XV.

Affectus animi et variorum morborum causa, et variorum persaepe medela esse possunt.

XVI.

Labor strenuus et paupertas consocia optimum podagrae medicamentum.

XVII.

In nevrosibus sanandis cura antagonistica maximi momenti.

XVIII.

Pari passu cum scientiae naturae perfectione, increscit medicinae veritas.